quam varia a doctoribus sit hic edita. Ad quod sane dici potest quod solus deus dimittit peccata et retinet. et tamen ecclesie contulit potestatem ligandi et solvendi. Sed aliter ipse solvit vel ligat. aliter ecclesia. ipse enim per se ipsum tantum animam mundat ab interiori macula. et a debito eterne mortis solvit. **Quomodo sacerdotes ligant vel solvunt a peccatis**

Non autem hoc concessit sacerdotibus quibus tamen tribuit potestatem ligandi et solvendi. id est ostendendi homines ligatos vel solutos

Cum et dominus leprosum primus sanitati restituit. deinde ad sacerdotem misit. quorum iudicio ostenderetur mundus. Ita et lazarum iam vivificatum obtulit discipulis solvendum. quia etsi aliquis apud deum sit solutus. non tamen in facie ecclesie solutus habetur. nisi per iudicium sacerdotis. qui tamen secundum faciem iudicat. deus vero secundum intima reorum conscientia. Ligant quoque sacerdotes. dum penitentie satisfactionem confitentibus imponunt. Solvunt. dum de ea aliquid dimittunt. vel per eam purgatos ad sacramentorum communionem admittunt. et huiusmodi dicuntur sacerdotes peccata dimittere. quia claves ecclesie frustrarit qui sine arbitrio sacerdotis penitentiam agit. sine oris confessione. cuiusmodi indulgentiam impetrat. Est et alius modus ligandi et solvendi. qui per excommunicationem geritur. dum aliquis secundum canonicam disciplinam. tertio vocatus. ad emendationem manifesti delicti. et satisfacere nullipendens. sententia ecclesie a loco orationis et sacramentorum communione et fidelium consortio preciditur. ut erubescat. et pudore sceleris conversus peniteat. ut sic spiritus eius salvus sit. qui penitus prius contemnens resipuerit. negata communioni admittitur et ecclesie reconciliatur. **Quomodo secundum hos modos intelligendum sit illud. S. quodcumque solveritis etc.**

Secundum hos duos solvendi et ligandi modos. quomodo verum est quod dicitur. quodcumque solveritis super terram et cetera. Intelligendum est enim hoc in illis quorum merita solvi vel ligari postulant. tunc enim sententia sacerdotis iudicio dei et totius celestis curie approbatur et confirmatur. cum ita ex discretione procedit. ut reorum merita non contradicant. Quicumque ligatur si non meruit. sententia ecclesie non leditur. nec contempnat. Cum non opus exit quis auctoritate a fide. a caritate. per hoc exit de castris ecclesie. etiam si episcopi voce non abiciatur. Sic econtra aliquis non recto iudicio foras mittitur. sed si non egit ut mereretur exire. nichil leditur. Interdum enim qui foras mittitur. intus est. et qui foris est. intus videtur retineri. Ecce qualis et quantus est usus apostolicarum clavium **Que sit interioris tenebre. et interior macula.**

Hic queritur quid sit illa macula. et que sint tenebre interiores a quibus deus interius animam purgat. cum vera animam penitentia immutat. De tenebris et interioris caligine facile est respondere. Cum enim quis mortaliter delinquit et gratia

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_325/0227

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG